

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

De Sensu Interno

Exercitatio Philosophica\$ dScipsit M. Io. Georg. Henricvs Feder

Ad Orationem Qva Mvns Professoris Philosoph. P. O In Inclita Georgia
Avgvsta Ad Diem XXX. Aprilis Capessitvrvs Est Invitatvrvs

Feder, Johann Georg Heinrich

Goettingae, [1768?]\$nMDCCLXVIII

VD18 90525175

urn:nbn:de:gbv:45:1-10369

DE
SENSV INTERNO
EXERCITATIO PHILOSOPHICA
PRIMA

AD ORATIONEM

QVA

MVNVS PROFESSORIS PHILOSOPH. P. O
IN INCLITA GEORGIA AVGVSTA


AD DIEM XXX. APRILIS

CAPESSITVRVS EST

INVITATVRVS

SCRIPSIT


M. IO. GEORG. HENRICVS FEDER



GOETTINGAE

EX OFFICINA SCHVLZIANA, CUR. F. A. ROSENBVSCH.





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan





Q. D. B. V.

De sensu interno quaedam commentaturi ut in meta-
physicae, quam dicunt, scientiae scopum veram *Diuerfa*
que rationem paulisper antea inquiramus, cum ipsa res, *meta-*
circa quam versabitur meditatio nostra, tum in primis *physices*
etiam via, quam secutura est, requirere videtur. *ratio*
Quamvis enim inter omnes conuenit, generalissimas quas-
dam doctrinas, quae non solum philosophiae, sed omnis
in vniuersum scientiae principia & tanquam fundamenta
sint, in metaphysicis esse stabiliendas; non tamen ean-
dem omnes ad has inueniendas viam ineunt. Et dupli-
ci quidem constat eam scientiam potissimum tractari ra-
tione. Pars enim initio nomina quaedam ponit, quae
latissime pateant, in quibus minimum, quod cogitari
possit, insit. Nouis vero dein, quaecunque possunt, *de-*
terminationibus continuo accedentibus, innumera alia
prodeunt nomina, rebus, siue existentibus, siue mere
possibilibus, apta. Sicque a summis rerum generibus

A 2

ad



ad infima progressi, quae ab ipso sensu propius distant, notionum numero insigniter aucto, non modo quae singularum vis sit, & quid cum aliis coniunctae atque ad eas relatae valeant, exacte docent; sed etiam quaecunque philosophia haec anquirat, suo quoduis loco sufficientissime demonstrant, vel demonstrare certe sibi videntur. Qui autem ex altera parte procedunt, illud primum habent, ut mens ex se ipsa promat ac suppeditet aliqua veri diiudicandi criteria. Quibus instructi totum deinde lustrant metaphysices campum, & quid in quouis loco verum sit, quid falsum, expendunt atque constituunt. Qua tamen neutra ratione ita contultum huic disciplinae videtur, ut eam opem, quam humanae cognitioni promittit, etiam praestet, quos autem plurimos offendit, aduersarios & obrectatores redarguere facile sit atque conuellere. Hi enim eam in metaphysicis philosophandi rationem, quam primo loco definiuimus, quamque *syntheticam* adpellare licet, ludere arguunt uocibus ambiguis ac plane obscuris; & quae principiorum loco illis sunt, positiones esse sic a sensu remotas, ut nihil in iis concipere & cogitando adsequi possis, nisi quod in casibus quibusdam, quos aut fingunt, aut e vita adferunt, videndum tibi concedant. Itaque initio quidem, inquirunt, & nomina feras, & axiomatibus, quae sumunt, facile assentias. Atque modestissimus quisque, ne nimis dubitando quaerendoque molestus fiat, quo minus mentem philosophi perspicit, eo accedit promptior. Vbi vero ad ea peruentum est, quae tuomet ipse sensu cognita habeas; tum demum intelligis, quorsum ista spectauerint nomina, & vel oraculorum obscuritatem

*syntheti-
co-dog-
matica.*



tem superantia dogmata, atque indignatus in alia omnia discedis. Alteri autem methaphysicorum parti, quorum, *analytica* dici possit methodus, si vel hi communi sensui *analyti-* plus concederent, neque tam insignem nomina rerum im- *co-dog-* mutandi licentiam sibi sumerent, id vitii potissimum ab *matica* aduersariis exprobratur, quod suum ipsorum intellectum, a praeconceptis opinionibus haudquaquam satis liberum pro communi generis humani intellectu venditent; iisque constitutis veri criteriis, quae in vtramque se partem facile vertant, sua omnia placita, quasi ex tripode dicta, pro auctoritate aliis obtrudant. Itaque omnem metaphysicam tamquam barbariei sedem & somniorum scaturiginem multi dudum reiecerunt. Quin nostris etiam diebus, vbi & hanc philosophiae partem libere ac eleganter nonnulli tractarunt, non desunt, qui idem fere censeant. Quos tamen a temeritate non satis sibi temperare, experientia edocti norunt, quotquot absque metaphysicae praesidio ad reliquam philosophiam accessere.

Circumspicienti itaque, quam ipse in hoc studio viam ingrederer, ea mihi valde arrisit, scopoque, ad quem omnes contendunt, conuenientissima visa est metaphysica, quae quid homines sibi velint notionibus istis generalissimis, & quae sint ea, in quibus omnes consentiunt iudicia, accurate inquirat. Quare in primis *Meta-* singularum notionum originem scrutatur, tum omnium *physica* inter se nexum, ex quo, quid quaelibet alteri debeat, in- *indaga-* telligi possit. Quo ipso perducere necesse est ad prima *trix* quaedam, quibus reliqua nitantur, iudicia; naturae, inquam, iudicia, qualia non die, nec opinionum com-
 A 3 men-





mentis delentur, sensu omnibus communi confirmata. Tale est axioma, cuius veritatem vnusquisque experientia suoque quodam sensu edoctus perspicit, pugnancia, seu quae sibi contradicunt, non esse, nec cogitari quidem simul in eodem possit; illudque alterum, quo affirmatur, neque in cogitatione, neque extra eam, absque ratione aliquid poni, quod non poni vel aliter poni in se possit. Quippe quae animum ad se ipsum applicando, atque ea, quae extra nos fiunt, obseruando, nemo ignorare aut in dubium vocare potest. Qualis metaphysica nescio an satis iam, pro eo ac deberet, exulta atque adhibita sit; vtilissimam fore, facile nec, credo, temere, mihi persuadeo. Siquidem ea omni aeuo & cuilibet hominum generi apta futura est, quando nihil arbitrarium in ea statuatur, nihil, quod non satis exploratum & communi iudicio confirmatum fuerit. Non noua temere condentur vocabula, quae nemo, nisi tenebricosis istis mysteriis initiatus, intelligat; sed quae maxime in vsu quotidiano obuia sunt, hic etiam prae primis in censum adducentur. Horum, inquam, verus significatus ex origine & vitae consuetudine eruendus, & pro eo, in quo plurimi consentiunt sapientiores, constituendus est; reiecto, quem paucorum licentia aut ignorantia attulit, abusu confusionem creante. Ita tandem fuerit aliqua disciplina, ex qua homines vocibus, quae in omni fere quaestione vtramque paginam faciunt, eadem omnes mente vti discant; qua erroribus & controversiis ex diuerso atque a recto declinante vocum vsu plerumque orientibus, obuiam eatur; ad quam, tanquam ad commune centrum, redeant diuersissimae opiniones,



nes, cuiusque auctoritatem eandem omnes agnoscant, nemo detrectet iudicia. Ex quo ipso quidem nec ad imponendum iis, quos nouae & profundae meditationis delectet species, comparatam hancce metaphysicam esse; nec omnia, in quae solent metaphysici plerumque inquirere, indubia stabiliri in ea posse, exercitatissimus quisque optime intelliget. At ubi verum cognoscere negatum est, praestat sane cognitionis limites nosse, errorumque fontes; quo magis sibi quisque a temeritate ac praecipitanter iudicatis opinionibus caueat. Verum ego iam nolo multus esse in metaphysicae huius exploratoris laudibus; quin ad argumentum progredior, *Cuius* quod hanc ipsam philosophandi rationem inprimis illu- *specimen* strare possit. In quo si minus feliciter versatus fuero, eo *exercita-* facilius veniam me impetraturum spero, cum illud a *tio haec* nemine adhuc, quod sciam, separate tractatum sit. *de S. I.*

Videtur vero quaestio de sensu interno minime esse negligenda, siquidem, iudice RIDIGERO, philosopho haud quaquam spernendo, *ignoratio eius infinitos & eos quidem pestilentissimos eruditus peperit errores. Hinc enim ortam esse CARTESII ideam innatam, & ex hac totum atheismum SPINOSAE. Et vulgo eam confuse tractari, queritur, & veram internae sensationis naturam plane penitus ignorari a).* Quamuis in hoc iudicio forte aliquid sit, quod ad operam commendandam spectet, quam ipse in hoc argumento collocavit; insignem tamen esse huius nominis ambiguitatem, quae multiplicem in sermone confusionem pariat, nemini ignotum esse potest

a) de Sensu V. & F. lib. I. cap. 3. §. 26. it. §. 11.



test scripta philosophorum versanti. Longe vero frequentior nostris, quam RIDIGERI, diebus eiusdem usus est, &, quae solet esse vocum omnium in ore versantium conditio, multo incertior proinde & inconstantior significatus. Quare recte mireris, multos, definitionum adeo prodigos, hanc aut plane omisisse, aut negligentius dedisse, minimeque omni respectu rei congruam. Quam eruere riteque determinare in tam ambiguo usu & ipsum operae pretium esse videtur, siquidem sermonem castigare haud vltimum philosophiae officium est, & nos quidem ante oportet, quam, id quod deinde hac disputatione nobis propositum est, in sensus interni naturam, certitudinem & legitimum usum inquiramus. Ne vero temere aliquid atque arbitrario constituamus, primum quid alii de hoc argumento tradiderint, audiamus; ea interim notione, quam nativa vocum vis suppeditat, & loca passim adducenda illustrabunt, acquiescentes.

sensus interni recentius nomen Recentiorum autem haec dictio est, in veterum scriptis certe a me nequidquam quaesita; licet rem ipsam ignorasse, ridiculum esset arguere, & *sensus communis* eorum, de quo postea dispiciemus, omnino eo referendus sit.

quid scholasticis? SCHOLASTICI quidem de sensu interno praeceperunt quaedam, sed nec cum recentiorum mente satis consentanea, &, vt sunt eorum pleraque, parum perspicua. His nimirum sensus internus est *facultas animae sensilia intra cerebrum recipiendo percipiens*. Cuius tres plerique

❁ ❁ ❁

que constituunt species, *sensum communem*, *memoriam*, & *phantasiam*; alii *facultatem* addunt *aestimatricem* ac *cogitativam*. *Sensum communem* porro dicunt esse, qui omnium exteriorum sensuum actiones percipiat & imagines adprehendat, *phantasiae* inde ac *memoriae* tradendas; eo *percipi tenebras*, *audiri silentium*; aliorum sensuum esse veluti radicem & habere ad eos *rationem*, quam habet *centrum* ad quinque *lineas distinctas*. *Organon* eius esse in *antere cerebri parte*, duobus *constante ventriculis*, aut in *tertia*, quae est inter *utrumque*, *cavitate*. *Aestimatricem* eam esse, qua *ovis lupum fugiat*, quem sensu non cognovit, *cogitativam*, qua *homo*, sensu magis quam *consilio*, *adfirmet* aut *neget* a).

CARTESIVS etsi, quos diserte vocat *sensus internos*, *Cartesio*
 b) *famem*, *sitim*, *laetitiam* & *tristitiam* aut plane huc non pertinere, aut vim certe *nominis huius* non exhaustire, *negari nequit*, non tamen *ignoravit*, (qui vero potuerit?) *sensiones propius & speciatim ad animam referendas*, quas hoc ipso etiam *nomine accurate alibi distinguit* ab iis, quae *corpōris siue, exteriores, siue interiores, partes adficiant*. *Etenim perceptiones*, inquit, *nostrae sunt duarum specierum, & quaedam animam pro causa*

a) Auctores indicant RIDIGER l. c. & Ven. atque cel. HOLLMANNVS Log. §. 10. Quibus iungi meretur GOELENIVS Disp. phys. octava. Ipse ARISTOTELES sensus communis explicare conatur naturam *de anima* lib. III. c. 2.

b) V. tract. de Hom. part. IV. & Princ. phil. part. IV. n. CXV. ff.



caussa habent, aliae corpus. Eae, quae animam pro
 causa habent, sunt perceptiones nostrarum voluntatum &
 omnium imaginationum aut aliarum cogitationum, quae
 ab ea pendent — quae perceptiones solummodo ad ani-
 mam referuntur, quarum effectus sentiuntur in anima ipsa
 & quarum nulla vulgo cognoscitur causa proxima, ad
 quam referri possint — quae possunt quoque vocari sensus
 siue sensationes, quia in anima recipiuntur eodem modo, quo
 obiecta sensuum externorum, nec aliter ab ea cognoscun-
 tur a). Quae ipsa tamen, vtut CARTESIVM ab obrecta-
 tione RIDIGERI satis purgent, qui supinae eum negligenti-
 tiae hac in parte arguit, & ignorantiae perniciosissimos
 errores parientis, rem, vt verum fatear, nec omnem
 nec distincte explicant. Et nihil profecto efficacius, si
 satis intellexisset, ad auocandum eum ab ideis innatis,
 quam hic, quo se ipsam obseruat, animae sensus inter-
 nus fuisset. Hanc puto vim, quam veteres *mentis aciem*
se ipsam intuentem b), *sensum animi & constitutionis*
suae, dixerint, quo id sentitur, per quod reliqua senti-
 untur c). Cui vero praecipue sensus interni nomen
 vindicarunt recentiores potissimum metaphysici.

recentio-
 ribus me-
 taphy-
 sicis

Et primus quidem, ni fallor, *Lockius*; qui ideas innatas
 proscripturus hoc primum habuit praecipuumque, vt
 hunc alterum perceptionum fontem diligentius confide-
 randum proponeret. Cui sensus interni nomen apprime
 conuenire testatus, eo tamen vti noluit, ne confusio-
 ni

an-

a) V. de passionib. part. I. art. XIX. XXV. XXVIII.

b) CICERO Tusc. quaest. I. 30.

c) SENECA epist. CXXI.



ansam praeberet, *reflexionem* potius dicturus a). Placuit vero postea sensus interni nomen. Quem RIDIGERVS, originem causamque simul expositurus, *passionem* dicit *intellectus*, quae a spiritibus ab ipsa anima in motum citatis efficitur b). Motus enim spirituum ex eius sen-

a) V. *Essai philos. concernant l'entendement humain*. liv. second. chap. I. §. 4. p. 61.; quem locum, utpote in hac causa classicum, quo lectoribus otium faciam, ex versione gallica huc transcribo. *L'autre source, d'où l'entendement vient à recevoir des idées; c'est la perception des opérations de notre ame sur les idées, qu'elle a reçues par les sens: opérations, qui, devenant l'objet des réflexions de l'ame, produisent dans l'entendement une autre espece d'idées (ideas has dici sensiones, aegre alii patiuntur) que les objets extérieurs n'auroient pu lui fournir: telles, que sont les idées de ce qu'on appelle appercevoir, penser, douter, croire, raisonner, connoître, vouloir, & toutes les différentes actions de notre ame; de l'existence desquelles étant pleinement convaincus, parce que nous les trouvons en nous mêmes, nous recevons par leur moyen des idées aussi distinctes que celles, que les corps produisent en nous, lorsqu'ils viennent à frapper nos sens. C'est là une source d'idées, que chaque homme a toujours en lui-même; & quoique cette faculté ne soit pas un sens, parce qu'elle n'a rien à faire avec les objets extérieurs, elle en approche beaucoup, & le nom de sens intérieur ne lui conviendrait pas mal. Mais comme j'appelle l'autre source de nos idées sensation, je nommerai celle-ci réflexion, parce que l'ame ne reçoit par son moyen que les idées, qu'elle acquiert en réfléchissant sur ses propres opérations.*

b) V. de Sensu V. & F. lib. I. cap. III. §. XXI. & XXIII.





sententia quadruplex occurrit in intellectu seu mente. Cogitando scilicet sentire primum nos rem adficientem, vnde existat *cogitatio*, cuius ipsius quoque habeamus *sensionem internam*, eam quidem, quam *cogitatio* iterum sequatur, quae *reflexa* sit. De causa minus solliciti vsum & significatum vocis hunc tenuerunt reliqui aevi huius metaphysici, quotquot consulere lubuit licuitque, ad vnum omnes. Loca facile ex indicibus reperiuntur. Ego vnum modo diligentius accuratiusque rem exponentem nomino cel. HOLLMANNVM a) nostrum, philosophum in primis mihi spectabilem. Cui recentissimum testem subiungere placet cel. BASEDOVIUM b); qui tamen, postquam eodem prorsus significato sensus interni nomen adhibuit, aliud deinde *sensus sui ipsius* (*Selbstgefuehl*) substituendum iudicat. Quod autem nativa sua vi priori nomini non in vniuersum respondere videtur, sed speciem tantum eius exprimere.

At non adquiescunt strictiori hoc nominais significato alii philosophi, maxime *Ethici*, hoc loco

a) Verba, quamuis ex libro plurimorum in manibus versante adscribo, propterea quod ex iis disputationi nostrae multum lucis statim accedit. *Per sensus animae mentisque internos nihil iam intelligimus aliud, quam illas eiusdem operationes, quibus ea omnia, quae in nobismet ipsis, hoc est, in mente nostra, contingunt, in nobis quoque simul contingere sentimus & percipimus. Ex quo ipso quidem satis simul patet, latius quodammodo sensuum internorum, quam vel adperceptionis vel actus cogitandi reflexi vocabula accipi.* Log. §. 10. & 11.

b) Cf. Philalethie part. II. medit. prima §. 4. & 10.



co vel in primis audiendi. Maximum enim *Ethicis* constat in felicitate momentum pendere ab interno hoc sensu, quo se ipsum animus, suamque intimam constitutionem, & varias, quae in ipso oriuntur, cogitationes, curas, consilia atque desideria percipit. Quare recte Ethici fecisse censendi sunt in praeceptis suis huius intimi sensus diligenter habentes rationem, Praecipue autem Angli, quos ad animi contemplationem prae aliis natura ducit, in eo explorando operam haud exiguam posuerunt. Quis vero nescit HUTCHESONIVM in hoc argumento exercitatissimum atque solertissimum? Quem ego ob ingenii acumen, eruditionem, quaeque ex ipsis meditationibus eius satis elucet, animi probitatem, valde suspicio, & libenter, nec vnquam sine fructu, consulo: quamquam non omnia eius placita se mihi probauerint. Is igitur, vti in omnibus fere scriptis suis hunc locum sedulo tractavit, ita in libro peculiari *de animi passionibus* has constituit sensus species. Primum quidem esse nobis, ait, quos omnes hoc nomine agnoscunt, *sensus externos*, quos quinque communiter, nec vero satis accurate, numerent. Alterum deinde, quem *κατ' ἐξῆς* *internum* adpellat, cuius ope harmoniam aut contrarietatem plurium conceptarum animo idearum, ac proinde voluptatem ac taedia, quae ab imaginatione pendent, percipiamus. Tertium, qui adficiatur aliena prosperitate aut calamitate, *sympathiam* dixeris, aut, quod ipse monet, cum veteribus quibusdam, *κοινωνησασιν* aut sensum communem. Quartum his accedere *sensum moralem*, siue virtutis ac vitii, iusti & iniusti. Quintum denique *honoris sensum* indi-

B 3



tum nobis esse, qui laudis & gloriae opinione ac pudore excitetur. Cui addi posse sextum putat *decori sensum a)*. Omnes autem *subtiliorum sensuum* (*feineren Empfindungen*) nomine alibi *b)* complectitur. Similia auctores alii Angli, & nostrates iam magno numero. Quorum sensuum num recte explicata natura eique conueniens ordo constitutus sit ab HUTCHESONIO, nondum inquirimus; existere has in nobis perceptiones, nec ad externos sensus referri posse, nemo in dubium vocabit.

Inspiratorum sensus internus

Est genus hominum, philosophorum nomen non detrectantium, qui, reiecto & damnato sensuum externorum, quin rationis ipsius, in cognoscenda veritate usu, veram omnium rerum cognitionem ac sapientiam ex intimo quodam mentis sensu vnice petendam esse doceant. *Fanaticos* nominant, plerumque etiam *mysticos* atque *inspiratos*. Quos ego homines a philosophiae societate non ita arceo, vt non interdum & ipsi audiendi videantur. Non ea solum de causa, quod patrem profitentur *Platonem* nostrum, atque insuper instructissima omnis ordinis terminorum acie vtuntur, sicut doctorum *επισδοξοτατοι*, sed propterea maxime, quod ingenti audacia philosophantes, nisi inter plurimas ineptias vtilia quaedam, haud alibi aequae obuia, proferunt, in castigandis certe aliorum erroribus feliciter interdum ver-

a) V. FRANZ. HUTCHESON Abhandlung über die Natur und Beherrschung der Leidenschaften und Neigungen It. Abh. I. Abschn.

b) Sittenlehre der Vernunft S. 59. ff.



fantur. Hoc autem loco omnium minime praetermitti eos fas erat, quod ipsis principium omnis veritatis, vel potius erroris ac somniorum, re penitus perspecta, ipse ille, de quo agimus, sensus internus esse deprehenditur. Quem multis variisque nominibus insigniunt, *hominem internum, lumen internum, auditum internum, centrum animae purum, mentem, lumen conscientiae, intellectum passivum & sexcentis*, credo, aliis modis appellitantes a). De quo paucis differentem iuvat audire POIRETVM, hominem satis philosophum, & reliquis ex hoc ordine, vti doctiorem, ita moderatiorem; quamquam & hunc a vehementioribus animi & ingenii luxuriantis motibus, quo vitio illi maxime laborant, non aequae, ac par esset, sibi temperasse, scripta testantur. Is vero eorum, in quibus nostra occupata sit cognitio, tria haec genera constituit, res quidem primo externas corporeas, harum porro ideas, id est, umbras picturas atque icones, denique res mentales atque spirituales. *Quando enim, inquit, perceptiones de me meisque cogitandi facultatibus intimioribus habui, tunc me ipsum, rem scilicet ipsam cogitantem & spiritualem realiter percepi; idemque de Deo quoque, re spirituali — dicere non dubito; perceptiones enim illae viuidae de eo — non potuisse ab alio, quam ab illo, mihi sic in intimis meis praesentissimo & me mouente, proficisci, indubitate ipse ego — certus sum b).* Tribus autem hisce generibus tres etiam

a) V. COLBERGS Platonisch - Hermetisches Christenthum part. II. p. 16. ff.

b) V. tract. *de vera methodo* libris *de erudit. triplici* praemiss. p. 25.



etiam docet praefectas esse facultates, sensus nempe corporeos, rationem siue *intellectum actiuum*, & *intellectum passiuum*. Et intellectum quidem actiuum, tanquam Protea aut Vertumnum agilemque comoedum, haud flocci facit a). *Passiuum* autem *intellectum lumine diuino praeditum esse* adfirmat & *veluti capacitatem quandam mentis intimam & immensam diuinis formis recipiendis aptam, qui solo diuino lumine possit adfici & illustrari, & ad quem nulla actiuitas, nisi Dei solius, nullaeque ideae accedere possint* b). Sufficiunt haec, vt de sensu Mystico-
rum interno, aut quocunque nomine praedicent lumen illud internum, iudicari queat. Similia autem, praeter innumeros alios, habet etiam HELMONTIVS, qui quidem primus sensus interni naturam aliquantum perspexisse visus est RIDIGERO c).

Quid-
nam ex
diuersis
notioni-
bus com-
mune
colligere
liceat?

Iamque multiplici vocis vsu obseruato, ex quo ad varias cognitionis nostrae partes diuersosque cognoscendi modos eam adhiberi adparet, vtrum diuersarum notionum communis quaedam sit, ceteras sub se complectens, an vero propria aliqua & praecipua, ad quam reliquae tantum propter analogiam admittantur, vltius examinandum videtur. Illud quidem ex dictis colligere statim licet, sensus interni nomen singulis adhibendum videri ad *principium cognitionis alicuius* notandum, *quae a cogitatione proprie dicta differat, nec tamen ad corpus referri queat*. Ceterum in notione hac distinctius explicanda, iustisque limitibus circumscribenda, valde eos discrepare, per-

a) l. c. p. 57. 61.

b) p. 28. 26. 91.

c) de Sensu V. & F. p. 6. 3.



perspicitur. Et quod solet esse sermonis ac opinionum mutuum commercium, causas aliquantis per pertentanti haud dubie adparet, inde illud discrimen, dum sensui interno non omnes eadem officia, latioresque alii limites, alii angustiores, constituunt, maxime enatum esse; quod naturam animae, in quo consistat & quousque pertineat, non eodem omnes modo concipiant a); quod, ubi de sensu sermo sit, non nisi passiones animi in censum plurimi admittant, aliqui etiam cogitationes, in quibus aliquid insit actionis, in medium adducant b); denique quod sensui interno tribuat pars vna, quae altera cognitioni supra sensum eminenti, rationi aut *rationis* cuidam *analogo*, vindicanda censeant c). Patet ergo nec de verbo tantum litem esse, ubi quid ad sensum internum referri debeat, ambigatur; nec intactas plane relinqui a nobis quaestiones in hanc controuersiam aduocatas posse, legitimo vocis vsu explorato, accuratam rei notionem constituturis. Age itaque quaedam psychologiae capita in memoriam nobis reuocemus, quibus haec disputatio illustretur. In infinito autem illo psychologorum dissensu hoc vnum fere, siue praesente vnicuique experientia comprobatum, siue adfertionibus sapientissimorum hominum euictum est, esse hominis partem aliquam praecipu-

*Reliqui
dissensus
causae*

a) Quo loco discessionem fecerunt omnium seculorum philosophi. In hac autem quaestione propterea maxime RIDIGERO vapulant SCHOLASTICI & CARTESIUS.

b) Hoc potissimum nomine LOCKIUS RIDIGERO castigandus videtur.

c) Ita dissentiant a *Metaphysicis* plerumque *Ethici* & philosophi, quos dicunt, *Aesthetici*.

C





cipuam, ad quam sensus pertineat & cogitatio, cuiusque
 ad nutum varie corpus moueatur. Quam animam qui-
 dem licet consensu dicere. Sed cum tot se modis ea ex-
 ferat diuersisque corporis partibus prodat; non dubie mul-
 tis visa ipsa est in toto corpore extensa, & viribus certe
 pluribus praedita, nisi naturis composita, esse. Alii con-
 tra cum rem cogitantem non nisi vnā simplicissimam
 esse posse sibi persuasum haberent; nec vnus entis nisi
 vnicam vim, quo pacto autem simplex natura a corporea
 adfici queat, cogitatione neutiquam adsequi possent: so-
 las mundum sibi pro situ corporis repraesentandi partes
 animae vindicarunt, in quibus vis eius absoluatur a vi cor-
 poris libera, huiusce motu omni suo ipsius admirabili
 mechanismo vnice concesso. Sicuti ergo illis plurima
 ad sensum internum reuocare licet, quae percipiuntur a
 nobis intra corporis nostri limites ita, vt animae potius,
 quam corpori accidisse mutatio videri queat; ita his nul-
 lus reliquus esse videtur, qui animae internus dicatur sen-
 sus, nisi suae cogitationis conscientia. Est autem inter
 has duas media quaedam sententia, quacum experientia
 adprime consentire videtur, quae animam, in se simpli-
 cem, corpori tanquam artificiosissimae machinae in vna
 aliqua parte intime coniunctam, eius mutationes patien-
 do percipere, vim autem suam, cum in corpore mouen-
 do, tum in adpetendis sensationibus, atque in formandis
 cogitationibus, exercere statuit. In qua sententia cum
 omnino ope corporis & imagines rerum extra nos posita-
 rum accipere, & ipsius corporis sui eiusque partium no-
 titiam habere, anima censeatur; illud non aequè inter
 omnes conuenit, num hae ipsae, quas sensu externo olim
 perce-



percepit, rebusque absentibus subinde iterum repetit, *Virum*
imagines eidem a corpore subministrantur, nempe in *phantas-*
aliqua cerebri parte, quae animae proxima sit, adserua- *mata ex-*
tis earum monumentis; an vero ex semetipsa, aut certe *istant in*
ex aliquo suo amiculo, ipsius naturae propiori, nec ad hoc *corpore*
oculis patens nostris, morteque deponendum, corpus per- *an in a-*
tinente, promat anima has rerum absentium imagines at- *nima?*
que ideas, easdem corpore destituta etiam habitura?
Qui prius iudicant, ii recte dubitare sibi videntur, an
phantasmatum idearumque, rebus absentibus, animae
obuersantium magis ad internum sensum pertineat, quam
quaelibet alia perceptio a corpore excitata. Nobis, cum
quantum a corpore pendeant phantasia ac memoria, mul-
to difficilior atque implicatior quaestio sit, quam quae in
praesentia exponi satis, nedum agitari, possit, attamen
ii potius sequendi videntur, qui ad internum sensum hoc
genus perceptionum referant, quam qui ad externum,
ad quem rerum extra nos positarum & partium corporis
sensationes pertinent, has quoque connumerent. In his
enim, cum aliqua pars corporis, ab eo loco, vbi anima
consistere potissimum creditur, remota, adficiatur, ra-
tio adest, cur externae denominentur: phantasmatum au-
tem sensationem si externam vocari velis, vide, quaeso, vt
omnem sensum internum, quin omnem a corpore sepa-
ratae futurum animae sensum, pernegantibus resistere pos-
sis! Certe quo minus & de ipsa animae natura constat, &
quam corpus ei praestet in imaginando cogitandoue opem,
planum atque perspicuum est; eo tutius accuratiusque sen-
sui, si quem dicere placeat, interno phantasmatum, &
omnis non aperte in corporis natura positae atque ab ea
profe-



perfectae adfectionis, perceptiones vindicantur. Atque haec de prima quaestioni nostrae sociata controuersia praemonuisse sufficiat.

*An sensus
mera
passio sit?* An sensus mera passio sit, prius quoque disputatum fuit a). Vbi propterea cautione opus est, quod illud ferre simul quaeritur, num omnis cogitatio sensus? Et alterutrum quidem, si velis in verbo facilis esse, probandum videri poterat. Vtrumque si concesseris, verendum est, vt aliquid anima agat potius, quam a causis externis agatur atque impellatur ad sua desideria, consilia & decreta, quibus vita eius continetur. At quum hoc posterius ipso sensu nostro refellitur, quo, vi sua vti animam nostram, multo profecto certius redditur, quam illud est, quod ratiocinando colligitur, omnem cogitationem & animi motum causis externis plane determinari: tum ne id quidem satis accurate dicitur, sensationem esse meram passionem. Patimur enim quidem, quando aliquid sentimus, sed non ipsum pati sentire est, quin hoc potius, quod patimur, sentimus. Passionem autem dicunt mutationem, cuius ratio in aliqua causa ab eo, quod mutatur, diuersa, continetur. Qualis causa itaque quamuis mutationem praestet, huius tamen mutationis perceptionem, non abs ea re, sed ab animi constitutione pendere, ex eo quoque elucet, quod multa, quae hoc modo patimur, aut aliter ac res postulare videbatur, aut plane non, percipiamus. Quod si tamen aliquis tunc pati nos contendat, quando nihil agendo mutamur, ac propterea passionis nomine velit complecti ipsam sensationem:

a) V. CUDWORTH. Syst. I. V. tom. I. p. 1138. f.

nem: nec hoc tamen effecerit, vt nihil, nisi quod ab omni actione animi vacet, ad sensum internum possit referri. Quemadmodum enim sensu externo utimur, non mere patiando, sed plurima subinde simul agendo, nunc oculos attollentes, nunc aures aduertentes: ita, quamuis sensio interna obtingat animo, vi ipsius simul adhibita, hoc tamen non obstat, quo minus sensus nomen praeualeat. Scilicet, quod CARTESIVS a) in eadem fere causa monuit, ex eo, quod praecipuum in re est, hic quoque nomen petitur.

Iamque constitutis *externi sensus internique limitibus*, propius accedimus ad huiusce definitionem, quid inter ipsum atque reliquos cognoscendi modos intersit, exploraturi. Vbi illud primum nobis contrarium videri possit, quod nonnullis placet, omnem cogitationem *sensione* contineri. Id quod non recentius demum HEL-
 VETIVS b), sed ELEATICA c) dudum schola docuit, pari forsitan consilio. At enim si daremus talem vocabuli usum generaliore, qui certe a more veterum aequae ac recentiorum non plane abhorreret, nec tamen illud simul dandum esset, animam in omnibus suis mutationibus mere pati, atque a causis externis determinari; nec id efficeretur, vt inter cognoscendi cogitandique modos non ea intersit differentia, quae non nomina solum diuersa postulet, sed rei ipsius discrimen etiam patefaciat. Nimirum sicuti propterea, quod omnia externa, quae cognoscimus, sensui debemus, non tamen coincidunt

*An omnis
 cogitatio
 sensus
 sit?*

Gustus

a) de animi passionibus p. 71.

b) de l'Esprit Disc. I, chap. I.

c) V. CVDWORTH. l. c. p. 1139. ff. tom. II. 22.



Gustus & olfactus, auditus, visio, tactus;

Ita etiam si eius, quae in animae mutationibus, repraesentationibus & perceptionibus versatur, cognitionis commune nomen sensus internus ponatur, eius tamen diuersae species hoc non evertuntur. Quas secundum praecepta accuratiorum philosophorum enumerando, facilius detegemus, quale sit, quod inter reliquas cognitionis nostrae partes sensumque animi obtinet discrimen. Trita & tiro-nibus nota est duarum cognitionis nostrae specierum diuisio, *facultatis* nimirum *superioris & inferioris*. Illam, quam & *intellectum* nominant *significatione vocis latiori*, facultatem dicunt *distincte cogitandi*. *Qualem* cogitandi modum rerum nominibus tanquam symbolis nos a) debere docent, & experientia confirmat. Inde *symbolicam* etiam dicunt hanc cognitionem, alteram, quae ipso sensu contineatur, *intuitiuam* adpellantes. Ad illam igitur referunt non facultatem solum *res* distincte cogitandi, id est notis suis, iisque non in sensu incurrentibus, distinctas, quam proprie vocant & *strictiori significato intellectum*, sed *rationem* etiam, quae *nexum rerum* atque dependentiam perspiciat, *ingenium*, quo similitudines, *iudicium*, quo conuenientiam simulque discrimen rerum adsequamur, denique *reminiscentiam*, seu eam recordationem,

a) In se enim nullatenus contradictionem infert, cognitionem aliquam esse intuitiuam eandemque distinctam. Scilicet nostrae cognitionis perfectiones ipsaemet imperfectionem naturae nostrae produnt atque arguunt. Quod graui atque ad hunc ipsum locum spectante documentò suo more, id est eleganter atque acutissime, nuper ostendit ill. KAESTNER fautor noster summopere colendus.



nem, quae manifesto iudicio absoluitur. *Inferioris* autem *cognoscendi facultatis* nomine quum eos cognoscendi modos complectantur, quibus primum rem ipsam animaduertimus, non rei symbolum, deinde confuse tantum, non distincte, significato supra posito, agnoscamus: in hunc censum non solum *rerum perceptiones*, quae praesentes nos adficiunt, sed *phantasmata* etiam, tum *memoriam* aliquam *sensitiuam*, quin *rationis* quoque *analogon a)* & *instar aliquod idearum generalium b)* merito connumerant. Atque ex his ego patere existimo, & qua nota ab intellectu, seu facultate cognoscendi superiore, discernere sensum internum, & quos cognitionis nostrae modos ad eundem referre deceat sermonem philosophorum & formulas vsu dudum comprobatas secuturos. Quaecunque enim cognitio neque ad intellectum pertinet, propterea, quod ea non adest distincta claritas, quam ille postulat,

*Quae-
nam co-
gnitio-
nis par-
tes sensui
interno
debeantur.*

a) Quo nexus rerum, dependentia & consecutio, absque ratiocinatione symbolica cognitione suffulta, confuse tantum percipiatur, ope imaginationis, ideas socias excitantis, aut obscuras aut confusas.

b) V. BILFINGER *Dilucidat.* §. 264. Cuius rei existentia *a priori* etiam inde potest demonstrari, quod ea, quae saepius percipiuntur, notabiliora sui vestigia relinquunt, atque facilius ab imaginatione iterum fuscitantur, quam ea quae rarius occurrunt. Itaque necesse est, ut illud quod in ideis plurium eiusdem generis indiuiduorum commune est, magis se insinuet imaginationi atque multo frequentius faciliusque se offerat, quam quod rebus singularibus proprium est. Idque cum in se ipso, tum quoad usum, quem praestat cognitioni nostrae, *instar generalium est idearum aut, si manifestis, notionum,*





stulat, neque ad sensationes externas referri potest, quarum principium extra animam & organon in corpore sit, ea ad sensum internum recte atque accurate ducitur. Quorsum itaque, praeter phantasmata, rerum etiam atque naturarum, si quae sint, quae animo *immediate*, id est non per corporis organa manifestentur, tum suae ipsius naturae atque constitutionis perceptio, porro voluptatis taediique, cuius non in corporis statu & adfectione causa posita est, ac proinde earum proprietatum, quas a modo, quo animum adficiunt, rebus tribuimus, denique illud etiam rationis analogon & idearum generalium instar omnino reuocanda videntur.

Latissimum itaque huius nominis significatum tuentes, *Definitio* definitionem si quis a nobis postulet succinctam, quales in scholis dari solent, sensum internum dicamus *facultatem* *Diuisio* intuitiue cognoscendi ea, quae sub corporis sensum non cadunt, adeoque animi sui constitutionem, quaeque animum *immediate adficiunt*. Qua definitione primum illud, quod in diuersis interpretationibus commune deprehenditur, adseruatum, deinde id cautum videtur, vt nec vis vocum naturalis negligatur, nec aliquid immisceatur tanquam certum, quod dubium atque controuersum sit. Verum enim vero quum iam ex dictis pateat, diuersi esse generis, quae sensu interno percipiuntur, iamque allatae a nobis sint huius generis species quaedam & ab aliis passim adferantur, nihil autem efficacius sit ad notionem aliquam generalem & late patentem illustrandam, quam specierum, quas complectitur, distincta recensio: ad hanc etiam statim accedamus. Quum vero omnes, quas in hac sermonis licentia innumeras fere passim celebrant, sen-



sensionum internarum species a) colligere atque enumerare longum nimis foret, atque ad notionem expediendam parum utile; logicorum potius more *a priori*, quod dicunt, easdem eruere magis e re videtur, addendo, quas generalis notio admittit, determinationes species effecturas. Quo facto, ad classes has reuocare, quarum alii mentionem faciunt, sensiones internas, haud erit difficile. Iam vero sicut perceptiones nostrae in genere vel res singulares, absolute & in se spectatas, nobis manifestant, vel certos rerum respectus, unde *ideae* existunt, quae dicuntur *relatiuae*, itemque *characteres rerum relatiui*: ita quin perceptionum sensus interni similis ratio sit, non est cur dubitemus. Unde duae primo distinguendae sunt sensionis internae species, *rerum* nimirum & *relationum*. Et prioris quidem denuo quaedam species est certissima *sensus sui ipsius id est suae existentiae & intimae constitutionis conscientia* (das Selbstgefuehl). Quae primo *existentiam* omnem sensus interni vim non magis exhaurit, quam *sensationis* & *intimae* sensus, qui obtingit corpori de se ipso, omnem sensum *externae* efficit. Deinde si haec distincta sit, qualis *adulterum* hominum, qui rationis usu gaudent, atque *abstractam* & symbolo adhaerentem de se ipso notionem *habent*, ad intellectum eam rectius referri cogitationem, (die deutliche Vorstellung, der Gedanke, von seinem Ich) RIDIGERO aduersus LOCKIUM concedimus. Confusa autem quoad fuerit atque intuitiua, ad sensum internum haud dubie pertinet.

Ex

a) *Gefuehle, Empfindungen und Empfindnisse*. Vtrum verae hae species sint, an *subalternae*, quas dicere solent, aliis disputandum relinquimus.

D





Ex eo numero perceptionum, quas pluribus rebus certo modo simul nos adficiendis acceptas referimus, illae ad sensum internum pertinent, quae, ideis quibusdam simul excitatis, animo oboriuntur, idearum istarum conuenientiam aut pugnam confuse adhuc notantes. Quae si a rebus externis iam profectae sint repraesentationes, perceptio tamen conuenientiae aut pugnae earum haud temere sensui tribuitur interno, quando ea pugna aut conuenientia non corpus adficiatur, sed intima animi constitutio. Sin ab imaginatione suppeditatae, aut alias absque corporis ope excitatae sint, ad sensum internum eas referendas esse, hoc minus dubitari potest. Idearum autem eiusmodi conuenientia triplieis generis est. Ea, qua ipsae inuicem conueniunt ad vnum aliquod, quod cogitari possit, constituendum, *veritas* dicitur, atque ad perfectiones metaphysicas spectat; quum pugna earum, quando se mutuo euertunt, *contradictio* aut falsitas audiatur. Quando ideas, pro eo, quo ipsam adficiunt, modo, ad suam ipsius naturam anima refert, conuenientia ea *bonitatis idealis*, *gratiae* & *pulchritudinis* nomine venit, perfectionibus physicis hoc respectu adnumeranda. Denique cum idea confertur cum *officiis*, id est cum legibus, quas salus publica vniuersae ciuitatis diuinae postulat; conuenientia, quae tum obtinet, *honestas* adpellatur, certis etiam respectibus, nunc *iustitia*, nunc *decorum*, interdum etiam *pulchritudo moralis*, cui *turpitudine* in vniuersum opposita est. Atque ad triplex hoc sensuum internarum genus diuersa ista sensus veri sensusque communis, sensus pulchri siue gustus, sensus iusti & honesti seu conscientiae moralis, & alia minus frequen-

tia

❁ ❁ ❁ ❁

tia nomina spectare, quo minus dubitari possit, probatissimorum auctorum testimoniis quibusdam docebimus.

De *veri sensu* audiendus nobis est cel. LAMBERTUS ^{Sensus} a) philosophus Wolfianam ^{αληθειαν} Lockiano ^{veri} acumini adiungens. Quem enim is praedicat internum sensum, quo, sicut musicus exercitatus harmoniam ac disharmoniam sonorum, idearum sociatarum veritatem aut pugnam anima illico percipiat, veri sensum merito appellamus. Atque idem hoc sibi velle aliorum, quod supra commemorauimus, *rationis analogon & idearum generalium instar*, res ipsa testatur parumper expensa. Hunc etiam potissimum *sensus communis* nomine insigniri, ^{qui idem} vt de nostrorum formulis, ^{ac sensus} b) quae in proueria iam abierunt, ^{commu-} taceamus, non ignobilibus veterum locis declaratur. ^{nis}

quem

- a) Die Harmonie in einem Concerte wird von einem geuebten Tonkuenfller viel vollstaendiger empfunden, als von ungeuebten. — Die Harmonie in einem Concerte ist ein sehr schwacher Schattenriff von der Harmonie in den Wahrheiten, die nicht das Ohr, sondern der *Sensus internus*, oder die Seele in ihrem innern Bewusstseyn empfindet. Gute Muster — geben der Seele die Grundlage zur Empfindung dieser Harmonie. Die Vernunftlehre entwickelt und benennt ihre Theile, und je netter man sich diese vorstellen lernt, desto fertiger wird man auch in der hier angezeigten Uebung. & qu. r. V. *Neues Organon* p. I. c. IX. §. 620.
- b) Quorsum & spectant plerumque nomina, *Mutterwitz*, *gesunder Menschenverstand*, *gesunde Vernunft* e. r. quandoquidem gallico *bon sens* respondeant.

D 2





quem fama superbum

Tradit & inflatum plenumque Nerone superbo,
pronunciat IUVENALIS:

Rarus enim ferme sensus communis in illa Fortuna a).

Illudque vulpis in fabula:

O quanta species, cerebrum non habet!

is dictum esse, docet PHAEDRVS,

quibus honorem & gloriam b).

Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Denique HORATIVVS, quam virtutes ipsas conuertamus, hoc etiam documento ostendit, quod

Simplicior si quis, — — —

Communi sensu plane caret! c).

Statim inquamus. Latius tamen paullo & ad reliquas etiam sensuum internarum species pertinere veterum hunc sensum communem, ex aliis locis d) fit manifestum, ubi ea animi indoles hoc nomine denotatur, qua ad aliorum mores atque desideria facile se aliquis compon-

a) Sat. VIII. v. 72.

b) Lib. I. fab. 7.

c) Sat. I. 3.

d) V. SENECA in epist. V. omni philosophiae cultori bis terve legenda; QVINCTILIANVS I. 2. 20. Addi potest HUTCHESON von den Leidenschaften p. 8.



ponat. Quem autem SCHOLASTICORVM verbis supra descripsimus sensum communem, ab hoc est valde diuersus, siquidem quae de eo praedicant, in eam cerebri partem, quam *commune sensorium* adpellant, aut in animae vim percipiendi in genere quadrant.

Quod si vero mirum cuiquam videatur, quo pacto *Quomodo* eius conuenientiae, quam veritatem diximus, sensui *veritas* vindicari queat perceptio; is fortasse non meminit, generalissimum veri criterium, omnisque veritatis *sentiri* *principium* *possit?* vniuersalissimum, quod *contradictionis* solent vocare, quodque demonstrare quasi a priori aliqui adnisi sunt, hoc ipso sensu contineri. Eam nempe animae nostrae naturam esse, vt cogitationem, cuius partes se mutuo evertunt, sustinere aut concipere omnino nequeamus, experiri, quandocumque lubet, possumus. Quare quae diuersa videri poterant, notissima philosophiae principia, *falsum esse, quod contradictionem inuoluat, & falsum esse, quidquid cogitari nequeat*, si vtrumque eo, quo debet, sensu accipiatur, in vnum conspirare ac prorsus conuenire patet. Talem autem, nunc pugnam, nunc harmoniam, non solum distincte agnoscimus, dum, symbolicae cognitionis ope, omnes ac singulas partes, quas idea aliqua complectitur, enumerando, veritatem aut falsitatem & nobis & aliis demonstrare valemus; sed subinde etiam confuse quasi praesentimus & animo praecipimus, ideis nimirum, quas aut reflexio sigillatim suscitatur, aut imaginatio adfociationis lege aliunde aduocat, tanquam in tenebris adhuc ac in quodam chao sibi occurrentibus, atque aut inter se depugnantibus, aut





amica societate coëuntibus. Omnino autem hoc sensu magis polleat necesse est, quo iustis atque definitis rerum notionibus aliquis est instructior.

sensus grati idealis
Pulchri externus sensus

Alter est *boni idealis, gratiae & pulchritudinis sensus*; quem κατ' ἐξοχὴν *internum* HUTCHESONIVS, *gustum* plerique dicunt quo; omnes CICERONE teste, *sine vlla arte, aut ratione, quae sint in artibus, ac rationibus recta ac praua, diiudicant a)*. Hunc prorsus atque omni respectu externum dicere nec vñs loquendi patetur, nec notio sensus interni supra constituta. In eo enim, qui a rebus oculis nostris praesentibus excitatur, pulchri sensu, quique ex sonorum auribus perceptorum harmonia oritur, quamuis singularis ea atque ab aliarum externarum sensuum natura dispar ratio obtineat, vt contactus organi non percipiatur, nec ergo praesens ibi grata aut ingrata sensio, sed potius animo reputetur, attamen cum manifestum corporis ministerium est, tum voluptatis etiam causa in corporis constitutione ex parte omnino posita videtur. Etenim, qui a rebus contrariis atque pugnantibus in corpore excitantur, motus ipsi etiam sint contrarii sibi atque inimici, ac proinde minus grate neruos adficiant necesse est, quam qui a rebus proficiscuntur, quae apta coniunctione ipsae sunt vnitae. Atque etiam nisi corpori aliquas hic concederemus partes, vix satis probabilis ac sufficiens ratio reddi posset, & cur pro diuersa valetudinis vigorisque constitutione diuersimode hisce rebus adficiamur, & cur aliqui homines ab huiusmodi gratiae sensu per omnem vitam suam prorsus

a) de Orat. III. 50.



prorsus abhorreant. Quamquam quid in ipso sensu va-
 leat vniuersum idearum systema, quod homo fouet, omnis-
 que animi indoles, hic etiam satis superque licet expe-
 riri. Inde enim discrepans adeo ac mutabilis pulchri
 ratio quin maxime petenda sit, dubio caret. Ex quo iam *ab inter-*
 adparet eas ipsas, quae externae dici solent, pulchri *na sen-*
 siones a sensu interno minus esse disiunctas, quin arctissi-*sione non*
 me cum eo cohaerere, atque in sensiones internas abire *facile*
 omnium facillime. Id quod ex pulchritudinis natura ma-*disiun-*
 gis adhuc elucet. Satis enim constat, non in singulis sonis *gendus*
 radiisue, sed in apta eorum coniunctione gratiam hanc
 contineri. Quae quamvis aliquid efficiat in corpore ipso,
 magis tamen sese prodit in anima, quae vna eademque
 singulas mutationes percipiat ideasque inde ortas confe-
 rat. Quando vero non tam mutationes corpori obtin-
 gentes, atque repraesentationes, quae ab his proxime
 oriuntur, quam phantasmata harum vi excitata, maxi-
 mam animo adferunt voluptatem, eius pulchritudinis
 perceptio sensio interna iure meritoque dicenda est. Id *sensus*
 quod non in carminis solum aut orationis lectione, sed *pulchri*
 in reliquis etiam elegantiorum artium monumentis, vt-*proprie*
 pote ea potissimum de causa delectantibus, quod natu-*internus.*
 rae similitudinem imitando referant, resque absentes ve-
 luti praesentes animo sistant, accidere omnino debet.
 Enimuero boni ac grati idealis, quo iste sensus adficatur, *Grati*
 amplissimum genus est; siquidem iis, quae sua natura *idealis*
 dium aut voluptatem creant, facile etiam se immiscent, *amplissi-*
 quae idearum connexarum ope id tantummodo praestant, *mum ge-*
 Principem tamen inter ea locum pulchritudo obtinet, ceu *nus.*
 variorum, quae in sensione coniunguntur, conueniens
 ratio,



ratio, ab omni genere hoc fere nusquam separanda. Accensentur autem excelsa & sublimia; noua atque inusitata, eaque, quibus ingenuitas & simplex venustas inest, quaeque risum excitant lepida quadam contrariorum conjunctione; & quae reliqua recensent, qui in hac philosophia elegantiori potissimum operam ac studium collocarunt a). Nos enim in harum rerum naturam, causasque, quare gratas nobis sensationes praestent, hic inquirere, instituti nostri ratio non patitur; licet accurata meditatione dignum argumentum sit, & suo loco non praetermittendum.

*sensus
moralis*

Sensus moralis, sensus iusti & honesti quid denotet, paucis adhuc a nobis est exponendum. Quem virtutis principium & tanquam religionis penetrabile plurimi existimant, *conscientiamque* simpliciter dicunt plerique posterioris aevi auctores. Cum vero sensum dicimus, non sermonem nobis esse patet de iis iusti honestique iudiciis, quae ratio fert intellectus lumine collustrata, sed de perceptionibus, quibus homo beatur, perpetrando, quae honesta videantur, contra dubia honestate, aut aperta factorum consiliorumque turpitudine, agitur atque excruciat; necdum ratiocinatione ad distinctam cognitionem instituta, quin in eo casu, ubi mens, ratio atque intelligentia nihil decernunt, nec decernere adhuc possunt, ea

a) Instar multorum esse potest cel. RIEDELIVS in *Theorie der schoenen Kuenste und Wissenschaften*; vir eruditione aequae ac ingenio admirabilis.





ea modo persuasione generatim & confuse animum penetrante, non consentire consilia actionesue eiusmodi cum officiorum ratione, aut omnino consentire. Qui sensus eam quoque vim habet, vt turpia aliorum facinora nec auditu nobis grata sint nec visu, quin ab iis, qui ea perpetrant, alienos nos reddant, egregiae vero & laude dignae actiones, quas aut praesentes intuemur aut relatas legimus, suauissima voluptate animum repleant, atque dum harum auctoribus nostrum conciliant fauorem, simul ad eadem audenda illico nos stimulent. a) Accidit autem subinde, vt hunc etiam in hisce agitationibus respectum animaduertamus, qui, aut inter se, aut cum nostrae naturae praestantia, magis minusque ea consentire doceat consilia atque facinora. Itaque quod honestum, idem etiam modo veri pulchrique specie, modo *decori*, se nobis commendare; turpe autem simul absurdum, simul inuenustum, itemque indecorum adparere potest. Honestatis autem, sicut omnis perfectionis, cum gratus nobis sensus sit, hoc ipso effici necesse est, vt honorem veluti documentum honestatis suae homo adpetat, infamiam autem & contemptum auersetur, quibus mala de animi vitaeque ratione opinio significetur. Accedunt repraesentationes quamplurimorum, quae gloriam & honestatis famam consequuntur, commodorum, & quae infami-

*cui inest
decori
quoque
sensus*

a) *Sympathiam moralem* hanc sensationem, si peculiare nomen placet, dicere possumus cum ill. *Homio*, auctore philosphis sane utilissimo, in obseruandis tamen, si recte iudico, animi motibus, quam in indagandis eorum causis, accuratior.

E





sensus honoris quorsum pertinet. famiam, incommodorum. Ad honestatis igitur aut ad grati idealis sensum cum sua natura redeat *sensus honoris & gloriae*; noua, iuxta priores, propterea non videtur constituenda classis.

Praesensiones Nullam adhuc *praesensionum* fecimus mentionem; quae tamen, si sint rerum, aut futurarum adhuc, aut remoto a corporis sensu loco accidentium, perceptiones intus animum adficientes, iure suo huc fuerint trahendae. Et praesensiones eas, quae nascuntur *idea*, quod LEIBNITIVS ait, *impraegnata praeteriti, grauida futuri*, nemo negauerit. Nec ego quidem alias. Verum nondum in eo sumus, vt in sensus interni naturam atque certitudinem penitius inquiramus. Quod argumentum, notionibus iam satis exploratis, postquam ex his, quae subtilius differenda erant, tanquam e scrupulosis cotibus enauigauimus, liberiore disputationis cursu prima quaque occasione sumus adgressuri.

* * *

Haec autem, quae adhuc adlata sunt, qualiacunque euulgandi causa fuit oratio, qua munus professoris philosophiae p. o. clementissime ad me delatum more solito auspicatorum sum; praeter ea, quae causae ipsius solemnitas postulat, *de eo, quod in scientia concedendum sit generatio seculi* verba facturus. Cui orationi crastina luce hora lo-



ra locoque consueto habendae ut interesse velint MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, PATRES academiae & PROFESSORES honoratissimi, denique COMMILITONES atque omnium ordinum FAVTORES ac AMICI generosissimi nobilissimique, ea, quaecet, pietate, obseruantia ac humanitate rogo atque contendo. Scrib. in acad. Georgia Augusta.
d. XXIX April. 1708.



in loco confiteri habenda ut inter se velle magis
 HIC ACADEMIAE PROCTOR, ILLUSTRISIMI COMITIS
 PATRES ACADEMICI & PROFESSORES HONORABILISSIMI, DE
 NIQUE COMMITTONES NIQUE ORDINUM PATRONOS
 AC AMICI GENEROSISSIMI NOBILISSIMAE, ET QUAE ET PI
 ERATE, OBLIVIONIS AC HUMILITATE NOC NIQUE CON
 TENDO. Scribit in Acad. Georgia Augusta.
 5. XIX April. cl. ccc. LXXIII.

